

tionis conuenienter ad finem comestionis differtur, tunc enim est uera sitis, propter aestuationem cibi calidi & siccii. Nec enim uerisimile est, sitim & famem cum sint appetitus contrariorū simul urgere. Estq; hic potus iuxta sitis exigentiam rauagendus, uel minus endus. At qui delatiuus maximè conuenit completa prima digestione, cōuenientissimè etiam adhibetur paulò ante horam suscipiendo alterius cibi. Et præcipue cùm cibi primo sumpti crassæ fuerint substantiæ, nec est differēdus donec sitis ortatur. Præparat enim stomachum ad suscipiendū cibum sequentem, et iuuat transitū cibi ad epar à stomacho: neq; tamē sumendus est in magna quantitate, ut citò possit digeri. Nam ante digestionē non transit ad epar. Et hoc uerum est, si potus delatiuus non fuerit aqua, in qua non est neceſſe expectare digestionem, antè penetratōnem eius ad epar. Regulariter autem potus delatiuus, uel etiam permixtiuus, non debet esse aqua, sed uinum, uel aliquid uino proportionabile, ut cereuisia, uel potus ex cerasis, uel pomis, uel melicratum, uel simile quid, quibus tamen omnibus uinum est melius. Secundo sciendum est, quanto cibus est crassior, siccior, & frigidior, tanto potum permixtiuum & delatiuum maiorem esse debere: et contrà, quanto cibus est calidior, subtilior, & humidior, tanto potum delatiuum & permixtiuum minorem. Et quanto cibus crassior, frigidior, & di-

H 3